

eorum, sed à Deo pendent, in cuius manu est quidquid boni aut mali hominibus accidit. Nam ut verum sit multos sibi malum accersere culpâ suâ, tamen bonum, quod accidit improbis, à Deo est, qui potest illud adimere cui vult. Quamobrem appositè interrogando seu exclamando subiungit :

VERS. 17. — QUOTIES LUCERNA IMPIORUM EXTINGUITUR, ET SUPERVENIET EIS INUNDATIO, ET DOLORES DIVIDET FURORIS SUI? Sæpè, inquit, in hæc etiã vitâ prosperitas impiorum delectat, quæ ut lucerna oleo, ita temporali opulentia nutritur; postea verò malorum diluvio in interitum obruentur; et Deus dolores ac cruciatus tartareos, iræ suæ indices, pro cuiusque impij nequitia partiatur. Quoniam verò superius versu 7, et sequentiâ descripsit Jobus impiorum in hæc vitâ felicitatem, et simul asseruerat ipsos ut plurimum ad finem usque vitæ in hæc temporaria felicitate perdurare, et sine magnis morborum molestis statim et quasi in momento abripi ad infernum, ne quis existimaret eam prosperitatem impiorum semper ad finem vitæ procurrere, quasi permitendum semper esset sceleratis prosperè hic agere, qui sempiterno cruciatu torquendi forent, subdit hic quod reverà existimavit, et in omni ætate crebris experimentis testatum est, florentem videlicet impiorum statum sæpè concidere, sæpè apparentem splendorem extinguï. Appellat verò lucernam secundæ fortunæ statum, qui temporalium affluentia bonorum, veluti lucerna oleo, pascitur; ac proinde opibus sublatis claritas illa vana non secus atque subtracta aut deficiente oleo lucernæ splendor evanescit. Non idcirco tamen in hæc vitâ mortali tantum impietatis pena persolvitur, sed supervenit alluvio illa tristicis interitò, quo mergitur impius et præfocatur, detruditurque in carcerem tartareum, ubi cruciatus ab irato Numine diviso, hoc est, ad proportionem culpæ partitos feret.

Pulchrè autem S. Job vitam hanc nostram lucernæ comparavit, nam sæpenumerò vitæ nostræ idem quod lucernæ solet evenire. Videmus non rarò lucernam in templo coram divino altari lucentem, oleo cæterisque ad lucendum requisitis sufficienter instructam et aptam ardere, lucere, sed flatu quodam venti subito extingui. Talis est vita nostra. Vides hominem opulentum rebus omnibus affluentem, qui habeat domum in salubri solo fundatam et optimâ suppellectili ornata, abundet victu et vestitu juxta voluntatis suæ exigentiam, habeat servos et ancillas in famulatum assiduam excubantes, et reliqua omnia in vitæ conservationem et durationem aptissima; et tamen nescio quo accidenti levi vitam subito cum morte commutare, occasione scilicet alicujus cibi, vel potus, vel etiam venti. Quamobrem merito dixit idem S. Job, cap. 7, 7: *Memento quia ventus est vita mea.* Quia nimirum venti flatu vel alia levis causa sufficit ad vitam nostram subito extinguentem. Archæsiæus Prytanæus, uti refert Diogenes Laërtius, haustu vini mortuus fuit; Jovianus imperator, ut narrat Baptista Ignatius, occasione cibi interit; Ana-

creon poeta, teste Valerio Maximo, bibens acino vix strangulatus est, et idem evenisse Sophocli refert Petrus Crintus. Cujusmodi plures recenset Textor in Officiâ. Vide quæ hoc capite ad v. 13 de subitaneis regum mortibus annotavimus.

VERS. 18. — ERUNT SICUT PALLE ANTE FACIEM VENTI, ET SICUT FAVILLA QUAM TURBO DISPERGIT. Pergit Jobus impiorum calamitates describere, cum paleis illos comparans, ut ostendat quàm sit futillis eorum potentia, quàm inanis gloria, quæ eâ facilitate dissipatur, quâ paleæ à vento vehementi, aut favilla arida et sine pondere ab incitato turbine propellitur. Vide quales sint homines, qui tantum de suâ potentia sibi placent, ut nihil vel à Deo ipso timendum putent aut sperandum; quæ à viro propheta et rerum usu atque experientiâ edocto cum minutissimâ paleâ, quæ gluma vocatur, et nihil penè distat à pulvere, et cum favilla, quæ ipsâ quoque paleâ levior est, cui nimirum pondus omne flamma consumpsit, comparatur; Deus autem cum vento ac turbine, qui gravissimas ac fortissimas moles convellit ac rapit. In Hebræo est: *Erunt sicut paleæ coram vento, et sicut gluma quam abripit turbo.* Hoc Septuaginta transtulerunt: *Erunt autem tanquam paleæ sub vento, aut tanquam pulvis quem abstulit turbo.* Ubi improbi eleganter paleæ seu glumæ assimilantur, quam ventus in aëre dispergit, sicut è contra pii assimilantur granis frumenti, quæ in aëre remanent, nec à vento disjiciuntur. Quò spectat illud Evangelistæ, Math. 5, 12: *Cujus ventilabrum in manu suâ; et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ubi similiter in ventilatione judicii mali paleis, boni triticis granis comparantur.

Sanctius cum Delrione nostro notat hic proverbialem locutionem, quam à Jobo sumpserint posterioris ætatis scriptores sacri, ac inprimis David cum ait, Psal. 1, 4: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Ubi similiter ut hæc loco in Hebræo est *וַיִּזְכּוּ מוֹז*, quæ vox propriè significat illum tenuissimum pulvisculum sive languinem, quæ unâ cum paleis è frumento ventilatur. Solent autem illi qui triture dant operam areas sibi in locis editis constituere, ut citius quisquille et glumæ venti flatu à granis separentur. Eadem similitudine usus est Isaias cum populo impio minuitur, dicens, cap. 17, 15: *Rapietur sicut pulvis montium à facie venti, et sicut turbo coram tempestate;* id quod Septuaginta claris expresserunt his verbis: *Tanquam aqua multa gentes multe, quasi aqua multa per vim impulsa. Et exterminabit eum, et longè eum persequetur tanquam pulverem paleæ ventilatum coram vento, et quasi pulverem rotæ tempestas impellens.* Frequens etiã apud alios prophetas est usus similitudinis istius de iis quæ vi majore hinc et illuc faciliè impelluntur aut disperguntur. Profectò cum flagitiosus homines Deo, proprio scilicet creaturarum firmamento, non hæcant, in levitatem quandam et instabilitatem ærumnosissimam degenerant; atque idcirco quidquid

nonorum temporalium coacervant nullâ firmitate subnitur, sed facilimè concidit, labefactatur, dissipatur.

VERS. 19. — DEUS SERVAET FILIIS ILLIUS DOLOREM PATRIS; ET CUM REDDIDERIT, TUNC SCIET. Hæc in Hebræo sic sonant: *Deus recondit filiis ejus robur ejus, reddit ei ut sciat.* Ubi per *robur* opes vel potius violentiam ejus significat, ut sit sensus: *Reservat filiis ejus penam violentiæ quam pater exercuit.* Non enim semper punit ipsum improbum in hæc vitâ, sed penam sæpè reservat in filios. Reddit autem sive retribuit ei quandoque, ut sciat peccatum nullum impunitum abire, aut improbitatem ipsam sui ipsius penam esse. Septuaginta vertunt: *Deficiant filios bona ejus, retribuet ad eum; et cognosce;* Theodotus: *Deus recondit filiis ejus injustitias ejus,* id est, filii quemadmodum sceltrum patris, sic et penarum participes ac hæredes fient. Et cum Deus reipsâ penas impio inflixerit quæ neque cogitabat, neque nôsse volebat, tunc sanè illas experiendo ac perpetiundo pernoscet. Quò autem Deus velit in thesauro iræ servet dolores impii infligendos liberis ejus, similitudo impietatis in illos derivata, et quasi lactis suctu conceptæ atque imitatione auctæ palam exigit. Illud autem: *Cum reddiderit, tunc sciet,* tantundem valet ac si Jobus diceret: *Impius neque meditatur neque formidat penam, totis presentis vitæ cogitationibus et affectibus immersus videtur sibi semper fortunandus, atque idèo neque liberis suis neque sibi timet.* At qui modò quasi tenuentus non pertimescit, ad penam sensum evigilabit, et cum Deus stimulum infingere cœperit, sciet quid egerit, quàm graviter aberrarit.

Omninò verum est, plurimos flagitiosos homines eò amentie progredi, ut minas penæ spernant; obtusoque animo nihil formident, donec ictu mortis aut acerbâ calamitate tangantur. Itaque cum miser peccator stultus sit et insipiens, dum libens ac volens bonum super omnia diligendum sibi amittit, et pleraque mala conciliat, tandem malo suo sapiens erit, sed sapientiâ quæ nihil illi proderit nisi in majus penæ ac doloris incrementum, quemadmodum eleganter dixit S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 51, ubi excitationem stulti peccatoris ejusque infelicem futuram scientiam sic describit: *Impiorum oculos culpa claudit, sed in extremum pena aperit, et idèo rectè subiungitur: Et cum reddiderit, tunc sciet.* Nescit enim impius mala quæ fecit, nisi cum pro isdem malis puniri jam cœperit; unde et per prophetam dicitur, Isaiæ 28, 19: *Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Tunc namque intelligit quod audivit, cum se jam pro contemptu vexari doluerit. Hinc per Balaam de semetipso dicitur: *Dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermorum Dei qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadet; et sic aperientur oculi ejus.* Consilium quippe contra Israelitas præbuit, sed post in penâ vidit quid prius ex culpâ commiserit. Electi autem quia nec peccare debeant prævident; eis videlicet oculi ante casum patent, Iniquus verò post casum oculos aperit, quoniam post culpam jam in

penâ suâ conspicit, quia malum debuit vitare quod fecit, de cuius inutili jam tum sententiâ subinfertur.)

VERS. 20. — VIDENTUR OCULI EIUS INTERFECTIONEM SUAM (1), ET DE FURE ORNIPOTENTIS BIBET. Modò quidem hebes est visus impij, at cum interiori, oculis acuet, cernetque invitius mortem suam, et in tartaro hauriet amarum potionem ultionis. Visio autem hæc non ad corporis mortem tantum, in quâ peccator nebulas oculorum dispellit, sed ad sempiternum quoque interitum pertinet. Cogitur quippe impius spectare mortem illam, quam cernere nollet, acerbissimo dolore trajectus videbit, atque tabesceat, juxta id quod ait David, Psal. 111, 10: *Peccator videtur, et irascetur, dentibus suis fremet et tabesceat;* quando nimirum mirificum in modum exterritus ob inopinam mutationem, et vehementius obstupefactus, subito videbit sibi creptam corporis valetudinem, animi robur, sensuum voluptatem, negotiorum varietatem, mentis lumen, jucundam vitæ lætiam, quibus antea gloriabatur et gesticbat, quæque David hominis desiderabilia nominat; cuius statum in eo præcipue puncto et dolore ita pingit, Psal. 58, 12: *Tabescere quiescit sicut araneam animam ejus, quod vertunt fidem in hunc modum: Tabescere facis velut tinea desiderabilia ejus,* hoc est, quemadmodum ipsa tinea vestem pretiosam solet perdere atque perdere, sic quod in eo est desiderabile et eximium tu liquefacit et consumit. Neque verò sui duntaxat ipsius exitio torquetur impius, sed justorum insuper felicitate cruciabitur, quam livore tabescens in sum ipsius supplicium convertit, dum quaslibet adversus eos insidias molitus, nil se prævaluisse conspiciet. Non enim dominabitur justo desiderium peccatoris, sed simul cum auctore suo debetur, quia desiderium peccatorum peribit, quippe in rebus fluxis ac perituris fundatum, quæ nihil permanentis stabileque obtinent. Hoc autem in extremo potissimum patebit iudicio; siquidem tunc, cum justi ea quæ speraverant adepti fuerint, impius, in supplicium quod sibi conscit, incidens, videbit justum et irascetur, dentibus fremet et tabesceat; tunc enim videbunt oculi ejus interfectionem suam, sive, ut Septuaginta vertunt, *in hærentis spectionem;* quod S. Augustinus reddit *neccem suam;* Symmachus *πῶτον, rainam,* scilicet sempiternam. Ineflex profectò periturorum bonorum in nunquam mortura tormenta commutato, et nimium infelix modica felicitas, quam æterna claudit infelicitas. Quoniam, ut sequitur, *de fure Omnipotentis bibet;* cuius amarissimum calicem usque ad faeces ipsi exhauriendum esse propheta significat, Psal. 74, 9: *Quia calix in manu Domini plenus misto; et inclinavit eum hoc; verumtamen fœx ejus non est exanxia, bibent omnes peccatores terræ.* Ubi per calicem tropicè designat supplicia

(1) Interitum familie sue.

DE FURE ORNIPOTENTIS BIBET, de calice, inò de tormente divinæ indignationis. (Menochius.)

VIDENTUR INTERFECTIONEM, id est, excidium, interitum absolutum, plenum, atque adèo æternum post hanc vitam. (Tirinus.)

culibet secundum delicta irrogari, et peccatorum penas minime defecere; siquidem non evacuat propter multitudinem eorum qui potantur, sed plenus manet etiam post exinanitionem, et cum omnes peccatores ex eo liberentur, adhuc manet indecitus. Mistum autem vocat propter plenitudinem, merum verò propter supplicii austeritatem. Pulchre ad hunc locum S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 51, docet calicem hunc in hac vita debere per penitentiam evitari à peccatore, qui si hic à culpa suam videre evolvisset, de Omnipotentis postmodum furore non biberet. Sed qui hic averit oculos à respectu criminis, illic declinare non valet sententiam damnationis. Sapè verò hi qui supplicia aeterna non metunt, prava agere pro temporali saltem percussione permittunt. Sed sunt nonnulli, qui ita in iniquitate duraverunt, ut nec in ipsis metuant ferri quae amant, à dummodo quae perversè cogitaverint explant. Unde subdit:

VERS. 21. — Quid enim ad eum pertinet de dono sua post se, et si numerus mensium ejus dimidiatus? Ostendit hanc mortem tanquam impio propriam sapientissimè à Deo fuisse institutam; nam si postquam vitam hanc mortalem amitteret, nulla reliqua esset alia pena quam perferret, nisi ea quae filii et familia propter ejus scelera afflictorum, quid sua id referret? Parùm enim curaret impius post mortem suam, quid eveniat familie suae in terra, sive prosperum, sive adversum; parùm tamen curaret, vitam seu suam seu suorum abbreviare, dummodo nullo alio post hanc vitam superesset ipsi in inferno subeunda pena. Atque hoc argumentum Job probat postumam inferni penas. In Originali haec ita sonant: *Nam quae voluntas in dono suo post se, cum numerus mensium ejus concisus sit?* Id est: Impius cum immaturè morte abripitur, nullam in posterum è domesticis posterisque suis haurit oblectationem. *Voluntas enim hoc loco desiderium vel delectationem significat;* quo sensu etiam David de justo loquens ait Psal. 1, 2: *In lege Domini voluntas ejus*, id est, oblectatio. Cum itaque ignoret quid accidat filiis suis post se, nec de ipsorum felicitate latari, nec de infelicitate tritari potest, quemadmodum superius dictum est, cap. 14, 21: *Honorantur filii ejus, et nescit; parvi fiunt, et non intelligit sibi.* Septuaginta verò versus hunc ita translativerunt: *Quia voluntas ejus in dono ejus cum eo, et numerus mensium ejus divisi sunt.* Quod Scholion sic exponit: *Quia voluntatem suam malam, non bonam Dei secutus est.* Sed apud S. Augustinum legitur: *Quia nulla voluntas ejus in dono suo post eum, id est, post mortem, quomodo sanè interpretes odidisse valde credibile est.* Pro *dimidiatus* Aquila et Theodotus legunt *dimidiabuntur*, quod cum Vulgato et S. Augustino consentit, uti et cum illo Psalmiste, cap. 54, 24: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*, hoc est, non perveniunt ad dimidium dierum suorum, q. d.: Ante mediam aetatem moriuntur, sive ante dimidium vitae tempus. Quae mors admodum immatura est.

Alterum exinde argumentum sumit à divină pro-

videntià penas illas impio justissimè irrogant, ita ut nemo ei possit contradicere. Unde subdit:

VERS. 22. — Numquid Deum doceret quiescentiam, qui excelsus judicat? Id est, Deum nemo quid factu opus sit, aut quid sanè atque ex usu ferri debeat docere potest, aut quod ille factum esse veli reprehendere, sive hos attollat et illos deprimat, sive omnia contra hominum consilia conturbet; cujus imperio atque judicio subsunt qui excelsi sunt, sive acri ingenio valeant, sive humanà potentia polleant. Agit adhuc de impiorum punitione, asseritque Deum optimè nosse, ac perfectissimè scire, quemadmodum etiam cum potentissimis agere debeat, ut ex hoc evincat ad Dei providentiam pertinere impios quantumvis florentes, sublimes, gloriosos, ad judicium accersere suum, temporaque decernere, et ubi expedit, sententiam ferre, illos interimere, aeterno supplicio addicere, omniaque pervidere, ut infinitam sapientiam atque invictissimam ejus potentiam deceat, cui suprema competat in excelsis etiam principes jurisdictionis. Nam, ut scitè Horatius,

*Regum timendorum in propriis greges,  
Reges in ipsos imperium est Jovis,*

*Clari gigantæo triumpho  
Cuncta supercilio moventis.*

Ita profanus ille Lyricus solo natorum lumine instinctus; sed longè diviniore spiritu allatus David, et citius lyrà Deo, ut judici supremo ceteris iudicibus jus dicenti, sic acciuit, Psal. 81, 4: *Deus stetit in synagoga Beorum; in medio autem Deus iudicavit.* Ubi sacer vates Deum introducit tanquam primum summumque iudicem in medio iudicium seu magistratum cum supremà auctoritate stantem et eorum actionem contemplantem, quolo nimirum ipsi alii jus dicant. Est enim iudicem Judex, quemadmodum regum Rex, et Dominus dominantium. In medio igitur ipsorum (vel, ut Aquila veritè in *ἑαυτῶν*, in infimo, ut pote *καθ' ἑαυτοῦ*, qui cordis intima cognoscit) quid ipsi faciant, attendit, examinat, et iudicavit. Hinc quomvis reges, iudices ac magistratus sibi subditos iudicent, se Dei tamen iudicio subjectos agnoscent necesse est; qui non solum ipsorum studia et actiones, verum etiam animi cogitationes expendit, et in medio ipsorum est, ut ipsos iudicet, ac delinquentes condemnet. Illud porò optimè infert Jobus valde conveniens, inò necessarium esse, ut impius in hoc mundo divitibus, voluptuariis, honoratis, pijs è contra pauperibus, afflictis, despectis, aqua et promerita sors ac prœmia condigna aliquando reddantur, saltem post mortem, cum in hac vita et in morte ipsa plerumque indifferens sit utrorumque conditio, quemadmodum idem latius explicando declarat.

VERS. 25. — Iste moritur robustus et sanus, dives et felix. — VERS. 24. — Viscera ejus plena sunt adipè, et mellis ossa illius irrigantur.

— VERS. 25. — Alius verò moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus. — VERS. 26. — Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. Hisce versibus declarat causam cur æquum et

consentaneum sit alium esse postquam ex hac vita discesserint iniquorum hominum interitum. Quia plerumque accidit, ut improbi homines totam vitam penitissimè vivant, contra verò probi miserè calamitosque; omnes tamen similiter et uno modo moriantur. Quòd si nullus restaret actus, sed omnis esset fabula morte esset peracta, iniqua profectò esset proborum hominum conditio, neque ille omnium Judex æquum redderet iudicium, sed error intolerabilis in universitatis gubernatione committeretur, si poenæ per se vique suà scelerebus institute, prœmia verò virtutibus, conversà ratione, poenæ bonis imponerentur, prœmia verò improbis tribuerentur. Hoc argumento S. Paulus probabat aliam post mortem bonis superesse vitam, 1 Cor. 15, 19: *Quia, inquit, si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Eodem argumento Ecclesiastes usus ad demonstrandum magnam esse vite hujus vanitatem, ut deceret aliam esse querendam vehementerque expetendam, ad eamque toto pectore aspirandum, cap. 2, 15: *Et dixi, inquit, in corde meo: Si unus et stultus et meus occusus erit, quid mihi prodest, quòd majorem sapientia dedi operam? locutusque cum mente meà, animadverti quòd hoc quoque esset vanitas.* Hoc etiam argumentum Abraham apud Lucam convincebat divitem illum aeternis tenebris vinculisque mandatum meritò tunc cruciatibus affici, Lazarum verò recipere consolationem, Luc. 16, 25: *Fili, inquit, recordare, quia receperisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Quod autem dicit: *Iste robustus et sanus, etc.*, habitum et speciem narrat hominis iniqui voluptatibusque dediti, et cui omnia pro libidine suà suppetunt: ita enim in Scripturâ describitur solet, sicut dixerat Eliphaz, cap. 15, 20: *Caccavit adversus Deum erecto collo, et pingui cervicè armatus est, operuit faciem ejus crassissimo, et de lateribus ejus arvina dependet.* Et contrariò verò sancti viri, pauperes, omnibus praesidiis destituti, luctu et mœnore confecti dici solent, ut passim in Psalmis et aliis Scripturæ locis videre licet. *Vident pauperes, et lœtentur; quoniam exandivert pauperes Dominus, et tinctos suos non desepit.* Psal. 68, 35. Et propterea eos Job significavit, dicens: *Alius verò moritur in amaritudine animæ suæ, etc.* Videtur autem ad semetipsum alludere, qui vitam ducebat agram, et amarum, rerum omnium indigentem, quam morbus attenuabat, tabes consumebat et exhaustabat, opes destituebat, neque commodum habebat in suo dolore diverticulum; solabatur nemo, exagitant et persequabantur omnes, et cum alienis in ejus calamitate cognati atque domestici conspiciant. Sed licet ad suam respiciat conditionem, de omnibus tamen loquitur, quibus vivendi atque moriendi fuit difficilis et angusta conditio.

Ceterùm cum tam dissimilis vita et fortuna fuerit utriusque; scilicet divitis et egeni, id est, impii et probi viri, eadem tamen utrumque jam vitâ functum manet sepultura, tabes, putredo, verminatio. Quod

sanè Deus neque imprudenter fecit, neque injustè; neque quemquam relinquit impunitum, si peccavit; aut si quidquam justus sanctè fecit, non numeratum. Neque ideo peccator felix, etiamsi viventi ex votis omnia contingant, quia suorum scelorum aliquando debitas penas dabit; neque justus infortunatus, quia destinatum est tempus, in quo suorum meritorum prœmium cumulatè recipiat. Quod autem illud tempus fuerit, satis ostendit manifestè versiculo trigesimo, nempe tempus quod hominum mortem consequatur in futuro seculo; de quo fortasse Job tres amici nullam cognitionem habuerant; tempus porò quod morti succedit, in quo examinatum corpus deformatur, foetet, et in sanie liquescit, incipit ostendere qualis sit futura impij extrema sors. Et quia id etiam quodammodo ad vitam pertinet, utpote vite proximum, atque hominum potest oculis patere, docet quomodo in hoc seculo, et penè dixerim in hac vitâ, nullam suorum meritorum justum mercedem expectare debeat, cum sciat in futuro seculo paratam à Deo. Hæc porò tunc et mala promittit in hoc mundo bonis et malis eveniant, quia Deus justorum opera nonnunquam in hoc seculo munere incipit; et si quid egere impij quod aliquam habere speciem honestatis, illud humano aliquo et fugaci commodo compensat. Quare ex hoc hanc humanam abundantiam et gloriâ non licet cujusquam sanctitatem aut improbitatem expendere: quod dixit Ecclesiastes, cap. 9, 2: *Omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et imbecillo, innocenti victimis et sacrificii contentis; sicut bonus, sic et peccator, etc.* Sed quo cuique merito atque consilio eveniant in futuro meritorum examine constat.

VERS. 27. — CERTÈ NOTI COGITATIONES VESTRAS CONTRA ME INIQUAS (1). Id est, scio quorsum tendant quæ dicitis omnia; nam quæ contra impios in universum dicitis, in me dicta et intellecta esse vultis; ideo enim existimatis me in tantas calamitates incidisse, quòd iniquus sim. Vocat autem cogitationes eorum, quia id aperte non dicebat, assumptiones in argumentando relictas, non obscurè tamen eas subintelligentes. Iniquas verò sententias hujusmodi cogitationes appellat, quia temerè de illo ac falsè ferebantur, ut patet ex Hebræo textu, qui sic habet: *Ecce novi cogitationes vestras et cogitata, quæ contra me iniquè cogitatis; vel, ut alii vertunt, quæ adversum me rapitis per violentiam, et quibus mihi vim facitis, injuriam et falsum crimen impingentes, culpam mihi adscribendo, quæ nulla est, ut Dei justitiam teamini et defendatis.*

(1) Similiter locus est Prov. 17: *Corda hominum manifesta sunt prudentibus, non quod homo, inò nec angelus proprie inspicit cor (solum enim Deus inspicit cordium est), sed quòd ex signis quibusdam exterioribus homines sagaces de cogitationibus cordium quoque percipere judicare possunt.* (Estius.)

VERS. 28. — DICITIS ENIM: UBI EST DOMUS PRINCIPIS? ET UBI TABERNACULA IMPIORUM? Hæc per ironiam et quasi insultando significat ab amicis de se dicta, ut qui princeps fuerit inter Orientales maximus, nunc autem ad extremam calamitatem sic reductus, q. d.: Non me latet, ô amici, quò spectent vestra consilia, neque ignoro me unum vestris verbis et irriminationibus appeti. Quis enim dubitet, ut est mearum rerum afflicta conditio, quin mea fortuna vobis obloquendi et conviciandi materiam præberit, scopumque proferat, in quem vestræ increpationis tela torqueantur? Quid enim aliud suspicer, cum à vobis sæpè audiam excisam esse principis domum et impiorum eversa tabernacula? Et quidem responsio hæc homine perspicaci digna fuit, utpote qui ex auditis et visis facile colligebat quid intendenter. In Hebræo est: *Quia dicitis: Ubi est domus munifici? scilicet Jobi, qui rebus integris tam erat munificus erga omnes, quod Vulgatus non male domum principis et Septuaginta δὸς ἀφύρτος reddunt, quòd talem præcipue deceat munificentiã et liberalitas; ex quo illud in evangelio, Luc. 22, 25: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur, Græcè ἐπιφύρτος, quò nomine principes intelliguntur; subdit: Et ubi tentorium tabernaculorum impiorum? Quod Septuaginta reddunt: Et ubi est tegmen sex proteclia tabernaculorum impiorum? Istiusmodi ergo acerbam et quasi insultatoriam interrogationem sic illud et elidit modestè aliò eam mandando, cum ait:*

VERS. 29. — INTERROGATE QUEM LIBET DE VIATORIS, ET HEC EADEN ILLUM INTELLIGERE COGNOSCETIS. Dicit hoc versus Job consolationem hanc, quam tractare vult, ita testatam esse, ut eam vel ignari et imperiti homines noverint, scilicet pios frequenter adversitate obrui, et impios in hoc mundo prosperitate frui. Videtur autem Idumæis instar proverbii sermonem tritium fuisse, ut cum aliquid nemini obscurum significare vellet, id dicentem ipsi etiam viatoribus esse compertum. Quomodo dicunt Latini, cum aliquid ostendunt esse vulgatum, et ignoratum nemini, lipis et tonsoris esse notum, quod ita est cum ratione atque æquitate summã conjunctum, ut docente nemine ab ipso naturali lumine hominum animis videatur impressum, scilicet impios in hæc vitã florescentes servari ad penam in futurã vitã perferendam; ex quo palam efflictor notum quoque fuisse, non semper flagitiosis hominibus in hæc vitã penam irrogari, ac proinde nemini, quantumvis calamitoso, exprobrari posse crimina ex hoc duntaxat præsentis ærumnæ capite, à quo et nequissimi peccatores plerumque eximerentur. Posuit autem speciem pro genere, viatores dicens, id est, homines nullis studiis deditos. Malo enim id ita intelligere quam ut alii, qui eã de causã viatores nominari dicunt, quòd hujusmodi homines id felicius scire possint, quia varias regiones peragranti, perinde quasi non quæstos faciendi, sed rerum cognitionis causã peragrarent.

Mysticè S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 55, per viatores hoc loco justos intelligit: « Viator, inquit,

dicitur, qui præsentem vitam viam sibi esse et non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transiuntibus, sed ad æterna pervenire concupiscit, » etc. Atque in eandem sententiam Clemens Alexandrinus, lib. 7 Stromatum de laudato Prefectore viro agens: « Is, inquit, reverã totus hospes et peregrinus est. Similiter D. Basilus in Psal. 14 proprium esse boni viri dixit, *more hospitis vitam hanc transire, et eã causã vivendi curriculum à præstantissimis veteris ævi luminibus nominari incolatum, hoc est, habitationem temporariam, ut intelligamus vitam nostram esse transitoriam, brevem, mutabilem, et peregrinorum jactationem, atque ad constantem illam et æternam tendere omnes oportere. Utinam vero nos eosdem oculos haberemus, quibus illi clari pontifices divinitus illuminati, præditi ornatique fuerunt ad intelligendam hujus vite in summã brevitate incredibilem et defugiendam calamitatem! Certè constaret esse plurimos, quibus, ut ait D. Ambrosius, lib. 2 de Abel, cap. 10, vita est fœnus delictorum; nec aliud compendium illos facere, dum diutissimè vivunt, quam ut in dies majoribus se noxis obligantes, graviores deinde pœnas in omnem æternitatem expendant. Unde subditur:*

VERS. 50. — QUIA IN DIEM PERDITIONIS SERVATUR MALES, ET AD DIEM FURORIS DUCETUR. Dies perditionis diesque furoris interitûs dies est, quò impius ab irato Deo ad æternas pœnas damnatur. Illa enim vera est impij perditio, quòd in illum diem pœna ejus defideratur, quia tunc reverã Deus in impium terribili ardebit furore. Significat ergo iniquos homines non semper in hæc vitã puniri, quia ad illum diem furoris et perditionis reservantur. De quã reservatione vide que superiùs ad capitulum 14 versus 17, annotavimus. Septuaginta interpretes pro *servatur* legunt *καταφύεται, sublimatur*; sublevatur quippe, ut validè eidatur, sicut qui vas fictile in sublime utraq; manu effert, saxoque fortiter alidit. Scilicet impij prospero fortunæ flatu turgidi

*Tolluntur in altum,*

*Ut lapsu graviore ruant.*

Quia (ut Job ait) ad diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. Infelix omninò perituro- rum honorum in nunquam moritura tormenta commutatio, et nimis modica felicitas, quam æterna claudii infelicitas. Et quis amet honores ignibus terminandos? quis congerat opes perpetuã ægestate lue- das? quis prudens amplectatur voluptatis æternaturis flammis excruciantas? O fuge quisquis sapiã tam magnò redimenda. Nimis charò constat quod æternum luitur: nimis vili pœnæ emanatur æterna. O ubi mens et animus viri prudentis? et videmus hæc indices, nec emendatur tot infelicium exemplis, et peccata peccatis inædificem securi, cum moneat Sapiens, Eccli. 5, 4: *Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor, et tarditatem penarum gravitate compensat.* Sed quisquis impio hæc ingerit surdo fabulam cantù;

quippe qui nimis firmiter aures obturaverit incantanti sapienter. Unde subdit:

VERS. 51. — QUIS ARGUET CORAM EO VIAM EJUS? ET QUÆ FECIT QUIS REDDET ILLI? Id est, cum tam prospero fortunæ flatu utatur, quis impium à pravã vitæ ratione revocare aut ejus flagitia audebit arguere? Sententiã sanè tanto viro digna. Ita enim plerumque fit, ut homines secundis rebus elati vix unquam in gym rationis doctrinã et reprehensione reduci se sinant, ideòque maximum discrimen subeant, qui vitam eorum improbam audent increpare.

Observat autem D. Gregorius lib. 51, Moralium, cap. 28, Scripturam sacram, quando per hujusmodi interrogationem loquitur, indicare rem difficillimam, que solã potentã divinã fieri possit, ut cum Jacob de leone dormiente, aut veriùs de Christo mortuo dixit, Gen. 49, 9: *Quis suscitabit eum?* Et David, Psal. 88, 49: *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Et Malachias, cap. 5, 2: *Quis stabit ad videndum eum?* Verbum autem *arguere* est increpare, reprehendere, oburgare, quod Paulus faciendum commendavit Timotheo dicens, 2 Tim. 4, 2: *Argue, obsecra, increpa.* Quis, inquit Job, coram potenti peccatore obstinato constitutus audebit ejus iniquam viam arguere et reprehendere? Res sanè difficilis. Arguebat Joannes Herodem, sed missus fuit in carcerem, et gladio interemptus. Arguit propheta missus à Deo Jeremias regem et principes impios, et projectus fuit in lacum, sustentandus pane doloris et aquis angustie potandus. *Circumveniamus justum* (inquit isti) *quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, etc.* Ecce rationem, cur justum circumvenendum statuunt, quia eos redarguit, et improperat illorum peccata. Ut ergo istiusmodi peccatores arguere posset Ezechiel, ait ei Deus se dedisse illi faciem ut adamantem et silicem, ne vultum eorum revereretur. Daniel verò regi Nabuchodonosor expositurus somnium, quod superbiam ejus arguebat, et divinam ei vindictam intendebat, auditò somnio à rege, antequam explicacionem ejus proferret, *cepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi unã horã, et cogitationes ejus conturbabant eum, Dan. 4, 16.* Quod eo consilio factum fuisse putandum est, ut interim dum tacitus cogitabat, animum colligeret, et à Deo *καταφύεται* postularet regem impium libere increpandi, et peccata ipsi sua constanter exprobrandi atque redarguendi. Quis item Balthasari inter pocula sacrilega epulasque nefandas ausus est denuntiare mortem, scelusque arguere? Nonne, quisquis ille fuit, priùs caput et faciem ne cognosceretur obtexit, ac manum solam protulit, et ne quidem integram; siquidem tantum *apparuerunt digiti quasi hominis, Dan. 5, 5?* Quo schemate insinuari videtur quanti res periculi sit potentiores arguere. Hoc alibi clarius Ecclesiastes exponit, dicens, cap. 10, 20: *In cogitatione tuã regi ne detrahas, et in secreto cubicali tui ne maledixeris d viti, quia et aves celi portabunt vocem tuam, id est, flii diaboli, corvi*

adulatores, qui non solum non audent in faciem verum dicere, sed solent falsis adulacionibus mentiri. Si ergo minime tutum sit etiam in secreto cubicali sui detrahare regi, ac diviti maledicere, aut verbo illum perstringere, quis in faciem ejus id audeat, et impunè feret?

Observat S. Augustinus, lib. 48 de Civitate, cap. 5, ex Varrone, Serapim maximum Deum fuisse Ægyptiorum, et in templo, ubi tam ipse quam Isis colebatur, fuisse simulacrum, quod digito labiis impresso silentium indicabat, ne quis auderet illis principibus detrahare, eosque arguere, aut negare esse Deos, vel asserere illos homines fuisse mortales impiose. Volunt enim impii silentio mendacia sua tegere, et in iniquitatibus ac sceleribus suis permanere. Quis ergo *arguet viam ejus coram eo?* Pauci certè sunt qui id agant. Unde tanquam rem maximè singularem semel iterumque annotat Spiritus sanctus de Azariã illo sacerdote magno, imò sacerdote suo permanere. Quis ergo sacrificanti contra Dei ordinationem in faciem restitit, illumque arguit: *Ipse est qui sacerdotio functus est, ait Scriptura, 1 Paralip. 6, 1 et 2 Paralip. 26.* Alii quidem multi fuerunt sacerdotes, sed hæc ore pleno sacerdos meruit appellari, qui completè boni sacerdotis partes egit in faciem arguendo superbi regis temerariam audaciam. Talis etiam fuit S. Ambrosius, qui Theodosio delinquenti non semel in faciem restitit, et, quod miraculo loco haberi debet, non minus se morigerum illi imperator exhibuit ad obsequendum, quam Ambrosius constans fuit ad eum arguendum; ut dubitare merito possit uter laudabilior censeatur, episcopusne ob libertatem arguendi imperatorem; an imperator ob humilitatem audiendi episcopum.

Ceterum posset quoque illa vox *arguere* hoc loco idem significare quod *convincere*, quomodò fides à Apostolo dicitur *argumentum*, id est, convictio (ut D. Thomas annotavit 2-2, quæst. 4, art. 1) *non apparentium*; et S. Judas dixit, *quòd venit Dominus arguere impios, id est, convincere.* Quis autem hujusmodi peccatores convincet rationibus? quis admonitionibus à malo revocabit? Nihil per hoc medium aliquis proficiet. Quid igitur agendum? Job optimè id docet in iis que sequuntur.

VERS. 52. — ISE AD SEPULCRA DUCETUR, ET IN CONGEGIE MORTUORUM VIGILABIT. Quasi dica: Non cum hujusmodi peccatoribus agendum rationibus acutis subtili mente fabricatis, admonitionibus blandis atque sententiis profundam sapientiam continentibus, sed ducendi sunt ad sepulcra, et ostendenda ipsis congeries mortuorum; hoc enim erit quod eorum oculos aperiet, et vigilantes faciet. Hoc Ecclesiã agit dum ad sepulcrum tu ducit, pulverem et cinerem oculis tuis exponit, sepulcrum tuum apertum tibi ostendit, mortuorum congeriem ad memoriam revocat: Vide, inquit, quia cinis es, et paulò post quod cinerem converteris. Corpus tuum comedent vermes, putredine scatebunt oculi, et faciem quam ornas, terra consumet; animam, ni resipueris, arripient demones, hæredes divitias tuas dividunt; et æternis ignibus

traditus in aeternum, dñm Deus erit, cruciaberis.

IN CONGERIE MORTUORUM VIGILANT. In Hebraeo est verbum שָׁקַד *sakad*, quod significat vigilantiam grandem ex anxia quâdam curâ ortam, qualis erat illa quae regem Darium exercebat, quando misso Daniele in lacum lionum, cap. 6, 18: *Abiit in domum suam, et dormivit incarnatus, et somnus recessit ab eo, curis undique agilitas et vexatus circa personam Daniels. Unde hoc verbo utuntur scriptores sacri ad similem vigiliam exprimentam, ut S. Paulus, eam ait, 1 Cor. 13, 34: *Evigilate justi, et nolite peccare*; S. Petrus, 1, cap. 5: *Sobrii estote, et vigilate*; et angelus ad episcopum Sardensem, Apoc. 3, 2: *Esto vigilans*; et Christus Dominus, Matth. 25: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Sepulera et mortui oculis exhibiti omnem somnum abigunt, oscitantiam pellunt, vigilantissimum reddunt, et anxii conscientiae stimulis urgeantur et compungunt peccatorem. Hinc quando Deus Pharaonem corde praefracto unâ cum principibus assecit sibi rebellem subigere, ac sortis conditionisque suae memorem reddere, atque sic ad praeccepta sua capessenda et exequenda disponere vellet, dixit Dominus ad Moysen: *Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, et percuta pulverem terrae; et sint ciniphes in universâ terrâ Egypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens, percussitque pulverem terrae, et facti sunt ciniphes in hominibus. Exod. 8, 16. Mirum profecto ex solâ pulveris percussione ciniphes innumeros extitisse, quorum, teste Philone, tanta fuit multitudo, ut per modum extensus nubis totam Ægyptum obumbraret. Unde quaque enim extemplo densa ciniphum examina insurgebant stimulis armata, quibus homines infestabant, neque ullam quietis partem sive sedentibus, sive comedentibus, sive dormientibus indulgebant, ut non immerito D. Augustinus ciniphes typum inquietudinis expressisse significet, quos imitantur inquieti quorundam ingenia, quae nullam in se requiem habent, nec alius concedunt.***

Mysticè autem hic considerandum, quantum referat manum extendere ac terrae pulverem percutere. Quamvis animae manus, inquit S. Augustinus, nisi mens seu intellectus, quo res capit et apprehendit? unde à D. Thomâ vocatur potentia apprehensiva. Virga verò quam istiusmodi manus apprehendit, quid aliud sit, quam meditatio seu consideratio, quâ res expendit et excutit? Sed hæc nostra miseria est, quod per eam raro sepulcralem pulverem percussimus, nec mortem seriò cogitemus, pro ingenio quisque suo passim alia meditantēs. Avarus enim opes, iracundus pugnas, superbus honores ac dignitates, libidinosus foedas voluptates, ebriosus vina, gulosus epulas deliciasque assidua meditatione versat; qui si pulverem terrae percuteret, eumque seriò cogitatione ventilet, sine dubio inde ciniphes orientur, qui ipsos compungerent, atque à peccati somno excitarent; *ducerentur nempe ad sepulcra, et in congerie mortuorum evigilarent. Ibi edocerentur naturæ nostræ mysteria, imbecillitatis humanæ arcana, quae veluti in*

promptuario refero et clarissimo atque in divite officina produntur. Videntur ibi pulveres illos, et terram siccam, calvarias aridas vacuasque, ossa consumpta pulverisque mixta; quae si considerationis virgâ iterum iterumque percuterentur, hæc utique inde exirent et cognoscerent, scilicet ea quae videntur jam in pulverem redacta quondam fuisse homines sui similes, potentes, divites, qui hæc, quam modò ducimus, vitam vixerunt, hæc eandem quam nos calcamus terram calcaverunt, hæc ipsi quâ fruimur luce delectati fuerunt. Ubi nunc eorum fastus? ubi divitiæ? ubi voluptates? ubi generis nobilitas? ubi factantia? ubi famulantium obsequiosa multitudo? ubi molles ad quiescendum lecti? ubi opparæ ad epulandum mensæ? ubi species venusta mulieris? ubi color genarum vividus? ubi concinnitas capillorum anxie comptorum et ad illecebram calamistro instructorum? Hæc quisquis sedulâ secum cogitatione expendit, sequæ illis paulò post similem futurum considerat, utique de pulvere ciniphes elicit, id est, anxias cogitationes, quæ animum reddant inquietum et de salute suo sollicitum.

Percutit igitur pulverem, et egredientur ciniphes, anxie scilicet cogitationes, ingentes timores, vehementes curæ, ut tibimetipsâ prospicias, et salutis tue consulat. Ciniphes sanguinem sugunt et extrahunt. Est autem sanguis ejus vigore caro nutritur et roboratur, viresque accipit, ut contra spiritum insurgat, ejus ardore concupiscentia inflammatur atque succenditur, unde somnus spiritalis et oblivio salutis ingeritur. Sed ciniphes ex mortis meditatione et sepulcrali pulvere orientes sanguinem minuunt, carnis lasciviam compefcunt, concupiscentiae ardorem restringunt, et lethiferum peccati somnum excutiunt abiguntque. Hinc factum, ut quoniam viri sancti hæc sepulcralem pulverem attentæ considerationis virgâ perpetuò percutiebant, ea quæ ad mortuos spectant cogitantes, hæc solâ consideratione excitati gremio assidè mortificarent, concupiscentiæ flammam mitigarent, ac vigilantissimi efficerentur: quando mirum fessis membris quietem aliquam indulgebant, et somnum oculis concedebant, illicò insurgebant anxietates et timores mortis, quibus compuncti suspiria emittere cogebantur, dicentes: *Hæc mihi moriendum, et forsân quidem hodiè? Quid ago? quid cogito? Talem sese exhibebat David perenni curâ vigilans, cum ait, Psal. 76, 5: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, id est, vigilantior fui illis ipsis quibus vigilandi cura ex officio incumbat. Sed quisnam somnum ab oculis ejus fugavit? Timor utique atque turbatio, quæ etiam linguam adhaerere faciebat palato ejus: *Turbatus sum, inquit, et non sum locutus. At unde turbatus timor? Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos aeternos in mente habui; quasi diceret: In medio præteritorum ac futurorum temporum me constitui; et quidem quæ præterierunt, sunt dies; quæ restant, sunt anni; illi quidem antiqui aut antiquati ac consumpti die; isti verò anni sunt aeterni nullâ duratione finiri li. *Cogitavi, inquit, dies antiquos,****

non tam tempus, quod præterit, quam quod in illo factum fuit. Consideravi recogitans antiquos patres qui me processerunt, et quid ipsis factum sit, inquirens, ubi sint principes illi nobiles, ubi divites et abundantes, ubi voluptuosi ac delicati, ubi sit gigantum fortitudo, regum potentia, mulierum pulchritudo. Transierunt omnia illa. Et qui temporis presentis cursum absolverunt ingressi sunt annos aeternitatis. Id ipsum mihi certissimè eventurum, et forsitan hodiè.

Bene ergo dicit Job: *Ad sepulcra ducetur et in congerie mortuorum evigilabit.* Ubi expendit illud, in congerie mortuorum. Hæc enim potentissima est ad somnum etiam illius qui lethargo opprimitur effugandum. Facio congeriem mortuorum et acervum non fictum, sed verum, et tanquam alter Ezechiel vide et considera campum plenum ossibus mortuorum illorum, quos nosti antea viventes, quos oculis tuis vidisti, quibus olim usus es familiariter; inprimis congeriem factio consanguineorum et affinium tuorum; tuam prospariam tanquam arborem extensis ramis dilatatam considera, patrem, matrem, fratres, sorores, consobrinos, cognatos. Vide omnes ferè hujus arboris ramos excisos, te solummodo remanere jam quasi siccum, statim morte excidendum, mille infirmitatibus obnoxium. Ubi parentes qui te genuerunt? ubi fratres cum quibus educatus es? ubi sorores? etc. Huic consanguineorum acervo adde condiscipulos, quos primum in infantia sortitus fuisti. Cum enim primum oculis corporis antequam rationis aperuisti, ad primas scholas missus, elementa prima cogniturus, quot quantosque habuisti pueros socios, quorum majorem partem vides morti cessisse! Deinde majoribus studiis applicatus, innumeros habuisti condiscipulos, viduos, sanos, agiles, qui juvenili ardore multa agebant, quæ sæpè refers, qui per varios casus et innumera discrimina rerum loca varia in republicâ obtulerunt, ex quibus quam plurimi vitæ cursum perfecterunt, et jam Deo ejusdem suæ vitæ reddiderunt rationem. His adjuuge homines famosissimos et celeberrimos quos nosti, mulieres formosissimas, quæ totius civitatis oculos ad se convertiebant. Quot quantique comites, barones, divites, quot quantæque femine illustres, et pulcherrimas, quæ vidisti, jam in mortuorum congerie quiescunt! Omnes hi vitæ excesserunt, omnia quæ habebant reliquerunt, nec secum tulerunt divitias, facultates, corporis robur aut pulchritudinem; coram divino judicio rigidissimo comparterunt, ingressi sunt domum aeternitatis. Quid de te speras? quis te decipit, suadens longam te vitam manere? quis mentem tuam subvertit, persuadens meliorem tuam sortem futuram? Nonne fieri potest, ut illis hæc ipsa diæ adjungaris? Si hæc congeriem faceres mortuorum ad eam mentem applicans, evigilares utique, et non sines perfoidi domum tuam.

VERS. 55. — DULCIS FUIT GLAREIS COEYTI, ET POST SE OMNEM HOMINEM TRAHET, ET ANTE SE INNUMERABILES. Pro faciliori intelligentiâ hujus loci, qui ab interpretibus in variâ sententiâ trahitur, notandum primò gla-

ream esse arenosam et lapidosam terram, qualis in fluminum ripis et sabulosis locis reperiri solet. *Coeytus* autem fluvius est in Arcadiâ à Styge palude fluens, quem inferorum esse fluvium poete finxerunt, tum quia in illum paludem multa caedavera coniciebantur, ut citò exederent, tum quia *coeytus*; Graecis *lamentum* seu fletum significat.

Nota secundò, nostrum interpretem hoc loco vertere speciem pro genere, ponendo Coeytum pro quovis fluvio vel torrente, et uti hypallage. Nam Hebraea et Chaldaea vertunt *glebas torrentis*; Septuaginta verò reddunt: *Dulces ei fuerunt lapides torrentis*. Sensus ergo est, quasi dicat: Optime convenit ei cum sepulcro, nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter ac suaviter quiescit.

Nota tertio, hinc liquere vitam sepulcra, praesertim nobiliorum, fuisse juxta fluvium, quòd maxime honestum existarent pro sepulcra litoralem locum, aut quia aliqui in jugi atque vivente aqua credebant esse sacrum et expiatorium, aut quia magis videbatur sepulcrum futurum esse mundum, et à sivestrum ferarum conculcatione liberum. Id multa probant antiquorum seu vera, seu fabulosa exempla, quæ ad fluminum ripas virorum principum sepulcra conspiciunt. Sic Hebraea sepulcrum ad amnem Rhodium statuit Strabo, lib. 15, Arcadiâ Philostratus ad Orentem. Pausanias multorum sepulcra variis fluminum littoribus adjungit, Aristoteles in Pello ad Cephissum amnem tumulum statuit Penelæ. Quorum similia plura noster Sanctius adducit exempla. Unde Hebraeus vocatur apud Stumicam ait Arabum lingua se pulcra vocari glebas vel glareas torrentis.

Dùm ergo Jobus ait impium esse dulcem glareis Coeyti, idem agit ac si diceret, delationem cadaveris impii ad sepulcrum non tam tristem et amarum esse quam letam et suavem, utpote fessis epulis et ludis conditam, ut ferè videatur deducto esse ad thalamum nuptialem, ac proinde non tanto esse impii horrore, ita Tirinus noster. Vel certè significat impium dulcem et gratum esse, ac placere illi regioni infernae, quæ figuratè glareæ Coeyti appellatur. Sicut enim cuique rei dulcis est, hoc est, placet, congruit, consentanea est res alia, quam cum ipsâ proportionem habet, ut lapis centro, ita solum animæ regioni inferorum congruunt, dulcescunt, quadrant ob proportionem cupit et poene. Locus quippe ac sedes propria animæ peccati pondere gravata tartarus est. Glareæ quoque juxta poetarum commenta eructabant à fluvio quodam inferni, cui nomen Achéron, in Coeytum; quæ sanè glareæ defunctorum animas esse fingebant. Et quidem Jobus commentis bene utens, dùm ait impium dulcescere glareis Coeyti, perinde agit, ac si impium, dùm in tartarum detruditur, cæteris impiis gratum esse pronuntiare. Licet enim nihil in ea regione suave dulce sit, minime tamen negandum damnatos alios aliis placere ex eo capite quo Deum offenderunt, in quam certè superbiam animi damnatorum vehementer conspirant.

Tropologicè S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap.

58. « Qui, inquit, per glareas Cocyti nisi reprobis designantur, qui suis voluptatibus dediti quasi semper à flumine ad ima detrahantur? Qui enim contra voluptates hujus seculi stare fortiter nolunt glareas Cocyti sunt, quia suis quotidianis lapsibus ad luctum tendunt, ut in æternum post luceant, qui modò se in suis voluptatibus delectabiliter relaxant, etc. » Quod verò subtextitur:

ET POST SE OMNEM HOMINEM TRAHET, ET ANTE SE INMEMERABILES, IDEM EST, AC OMNES ANTECESSORES ET SUCCESSORES MORIATUR, QUEMADMODUM IPSE INTERIT; QUOD AD CORPORIS SORTEM SPECTAT. Quo sensu Jobus hoc argumentum texere censendus est, q. d. : Cum omnibus sive bonis sive malis pari lege mors imminet, trahat omnes subsequentes, sicut trahit omnes præcedentes, cumque in hac vita impiis seculis quam piis ex voto omnia et ex animi sententiâ cedant, certò inde colligitur, primò, post hanc vitam utrisque reservari condignam retributionem; secundo, non propter sola scelera homini adversa immitti à Deo in hac vita; unde sequitur tertio, ex his colligi non posse, Jobum impium et sceleratum esse, ut amici contendebant. Quare subdit :

VERS. 34. — QUOMODO IGITUR CONSOLAMINI ME FRUSTRA, CUM RESPONSO VESTRA REFUGNARE OSTENSA SIT VERITATIS? Ex Jobi argumentis, quibus adstruxit pietatem suam ad impios ærumnis in hac mortali vita afflictari, palmam efficitur ineptum solati genus esse, si quis viro afflicto, quem censet impium, penitentiam agere suadeat, promittens, si in Dei gratiam redeat, fore

## CAPUT XXII.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit :
2. Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfecta fuerit scientiæ?
3. Quid prodest Deo si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?
4. Numquid timens arguet te, et veniet tecum in iudicium,
5. Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas?
6. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causâ, et nudos spoliasti vestibus?
7. Aquam lassum non dedisti, et esurienti subtraxisti panem.
8. In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam.
9. Viduas dimisisti vacuas, et lacteros pupilorum comministi.
10. Propterea circumdatus est laqueis, et conturbatus te formido subita.
11. Et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri?
12. An non cogitas quòd Deus excelsior cælo sit, et super stellarum verticem sublimetur?
13. Et dicis : Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat.
14. Nubes latibulum ejus, nec nostra con-

ut secunda res ad votum succedant, opes, honores, commoda circumfluant. Frivolum certè solati genus, nam res planè incerta est. Neque enim ex relictu in Dei benevolentiam efficitur, ut qui pius est fortunetur, honoretur, benè valeat, cæterisque fluxibus mortalis vite bonis affluat, cum pateat plerosque viros piissimos ærumnis consumptos interire, et è contrario plerosque improbos florentes, vegetos lætosque ad mortem usque perdurare, præterquam quòd perspicuum est, consolationem minimè appositam esse, polliceri homini ærumnoso prosperitatem si respiciat, cum ex genere suo ea prosperitas respicientiè vitæque defæctæ argumentum non sit. Cum ergo Eliphaz, Baldad et Sophar Jobi constantissimum animum grandibus pollicitationibus temporariis tentassent, aptè concludit, aïens : *Quomodo igitur consolamini me frustra, vel, ut Septuaginta reddunt, xev, inaniter?* Incassum videlicet argumenta conglobarunt, cum finis intentus, quâ ratione ipsi assererent, neque semper obtineretur, neque si fortuito obtingeret, verè sententiæ congrueret, atque idcirco subjungit :

CUM RESPONSO VESTRA REFUGNARE OSTENSA SIT VERITATIS, VERÈ SCILICET SENTENTIÆ, QUÆ HABET, PIOS ET IMPIOS IN HAC VITÄ PROMISENDE ALLIGI, NEQUE EX OPUS VIL INOPÄ FIRMA VITI AUT VIRTUTIS ARGUMENTA PRODICI, AC PROINDE SUPRESSE VITAM ALIAM, AUT BONI PRÆMIIS CUMULANDI, IMPROBI COMMERCIIIS PÆNIS IN SCRIPTURARUM TORQUENDI SINT. Atque in hunc modum Jobus siliut, quem redintegrato prælio Eliphaz iterum adorsus est.

## CHAPITRE XXII.

1. Eliphaz de Théma prenant la parole, dit à Job.
2. L'homme peut-il être comparé à Dieu, quand même il aurait une science consommée? Comment donc osez-vous vous flatter de pénétrer les secrets de sa divine providence? et comment vous promettez-vous qu'il s'intéressera dans votre défense?
3. Que sert à Dieu que vous soyez juste? ou que lui donniez-vous, quand votre conduite sera sans tache?
4. Vous craindrez-il, lorsqu'il vous accusera comme coupable? et lorsqu'il viendra pour vous juger, appréhendera-t-il que vous ne l'accusiez lui-même d'erreur ou d'injustice?
5. Et ne trouvera-t-il pas plutôt en vous des dérégléments très-grands, et une infinité d'actions injustes, qui justifieront pleinement la conduite qu'il tient sur vous?
6. Car apparemment vous avez enlevé ou retenu sans raison des gages à vos frères qui en avaient besoin; et vous avez dépouillé de leurs vêtements ceux qui étaient pauvres, vous les avez renoués nus.
7. Vous avez refusé de l'eau à celui qui était abattu de lassitude, et du pain à celui qui souffrait la faim.
8. Vous vous êtes mis en possession de la terre de votre voisin par la force de votre bras; et vous vous la conservez, comme étant le plus puissant et le plus fort.
9. Vous avez renvoyé la veuve les mains vides, sans vouloir la secourir; et vous avez détruit l'appui des orphelins, au lieu de les soutenir.
10. C'est pour cela que vous vous trouvez environné de pièges, et frappé tout d'un coup de trouble et de crainte.
11. Et cela vous est d'autant plus sensible, que vous vous imaginez alors ne devoir point tomber dans les ténèbres de affliction, ni être accablé par les eaux qui sont venues fondre sur vous, comme un impétueux débordement d'eaux. Et même à présent, vous osez soutenir que Dieu ne vous les a point envoyés pour vous punir de vos péchés.
12. Vous pensez sans doute que Dieu est plus élevé que le ciel, et qu'il est beaucoup au-dessus des astres.
13. Et vous dites en vous-même: Que peut connaître Dieu de si loin? Il juge des choses qui se passent sur la terre, comme au travers d'un voile.
14. Il est environné d'un nuage qui lui en dérobe la vue; il ne considère point ce qui se fait même nous; il se

- siderat, et circa cardines cæli perambulat.
15. Numquid semitam sceulorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?
  16. Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum.
  17. Qui dicebant Deo : Recede à nobis : et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum;
  18. Cum ille impleret domos eorum bonis, quorum sententiâ procul sit à me.
  19. Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens subsannabit eos.
  20. Nonne succisa est erectio eorum, et reliquias eorum devoravit ignis?
  21. Acquiesce igitur ei, et habeto pacem; et per hæc habebis fructus optimos.
  22. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo.
  23. Si reversus fueris ad omnipotentem, edificaveris, et longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.
  24. Dabit pro terrâ silicem, et pro silice torrentes aures.
  25. Etrique Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coærvabitur tibi.
  26. Tunc super Omnipotentem delicias afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam.
  27. Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes.
  28. Decernes rem, et veniet tibi, et in visis tuis splendet lumen.
  29. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloriâ; et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.
  30. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditiâ manuum suarum.

## COMMENTARIUM.

VERS. 1. — RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES DIXIT : — VERS. 2. — NUMQUID DEO POTEST COMPARARI HOMO, ETIAM CUM PERFECTÆ FUERIT SCIENTIÆ? Septuaginta vertunt : *Nonne Dominus est qui docet intellectum et scientiam?* Unde in Cantico Annæ matris Samuelis dicitur *Deus scientiarum Dominus*, 1 Reg. 2, 5; à illo enim ut uberrimo et copiosissimo fonte omnes artes et recondite scientiæ atque arcana et magnifica ingeniorum vis profluit; à illo etiam ordo in omnibus, et mirabilium rerum pulchritudo, et velut in concentu symphonia omne artificium et admirationem superans manavit. Itaque S. Paulus *multiformem sapientiam Dei prædicat*, Ephes. 3, 10. Atque ut relictis creaturis oculos in ipsâ Numinis scientiâ figamus, imprimis conetur, et perfectissimè cognoscit essentialium suam, bonitatem, potentiam, perfectiones denique omnes infinitas, in quibus cognoscendis immensus ipsius intellectus copiosissimè expletur, et volutate singulari perfunditur; in quo est ipsius beatitudo; essentialium enim pro speculo habet lato et splendido, in quo se videt atque omnia. Eruditè S. Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 7, § 2 :

promène dans le ciel d'un pôle à l'autre; et il ne s'occupe point de ce qui se fait sur la terre.

15. Voulez-vous donc suivre après la route des siècles passés, et marcher sur les traces de ces impies?
16. Qui ont été enjoints par un sort méprisable; et que le déluge a renversés jusqu'aux fondemens; et que
17. Qui disaient à Dieu : Retirez-vous de nous; et qui s'imaginaient que le Tout-Puissant ne pouvait rien contre eux.
18. Quelque ce fut lui qui ont semblé leurs maisons de biens? Que ces pensées des impies soient bien loin de moi.
19. Les justes les verront périr, et ils s'en réjouiront; et l'innocent leur insultera, comme Noë et les siens insultèrent aux hérétiques qui périrent dans le déluge.
20. En effet, ce qu'ils avaient désiré de plus fort n'a-t-il pas été détruit alors par la puissance de ce Dieu qu'ils croient si impuissant? et le feu de sa colère n'en a-t-il pas dévoré les restes dans l'embrasement de Sodome.
21. Soumettez-vous donc à Dieu, au lieu de vous révolter contre lui, comme ces impies; et demourez en paix dans les eaux qu'il vous envoie: ne vous laissez point aller à l'impatience, ni au murmure: mais entrez dans les sentimens d'une vraie pénitence; et vous vous trouverez comblé de biens.
22. Recevez la loi de sa bouche, et gravez ses paroles dans votre cœur.
23. Si vous retournez ainsi au Tout-Puissant, vous serez rétabli de nouveau, et vous habitez de votre maison l'iniquité, et tous les maux qu'elle y a causés.
24. Il vous donnera, au lieu de la terre, le rocher; et au lieu de la pierre, des torrents d'or; c'est-à-dire, qu'il vous donnera des richesses beaucoup plus grandes que celles que vous avez possédées; et qu'il rendra votre fortune infiniment plus solide.
25. Car le Tout-Puissant se déclara contre vos ennemis; et il grossira tellement vos trésors, que vous aurez des monceaux d'argent.
26. Alors vous trouverez vos délices dans le Tout-Puissant, et vous élèverez avec une entière confiance votre visage vers Dieu.
27. Vous le prierez; et comme il vous accordera ce que vous lui demanderez, vous vous acquitterez avec joie de vos vœux, et lui offrirez avec plaisir ce que vous lui avez promis.
28. Vous formerez des desseins, et ils vous réussiront; et la lumière brillera dans les voies par lesquelles vous marcherez.
29. Car celui qui aura été humilié sera dans la gloire; et celui qui, dans la honte et la douleur de ses péchés, aura abaissé ses yeux vers la terre, se croyant indigne de regarder le ciel, sera sauvé par sa pénitence.
30. Comme l'innocent sera sauvé par sa justice; car l'innocent sera sauvé, parce que ses mains auront été pures; et le pecheur parce que ses siennes auront été purifiées.

Se ipsam, inquit, nascens divina sapientia noscet omnia.

In eâ videt distinctissimè partes omnes mundi, species omnes, naturas singulares, rerum numeratas, vim omnem et varietatem, herbas, stirpes, animantes. Quasi in digitis suis numerat in littoribus arenas, in Oceano pisculos, sillantes pluvia guttas, arborum frondes, momenta temporum, hominum et angelorum cogitationes, que, sunt, que fuerunt, et in omnem æternitatem sunt futura. Nec perfectè minus comprehendit et numerando percenset muscas in aere volantes, aut passerum hinc cadentes, aut capillos in humanis capitibus vibrantes, quàm stellas in orbibus celestibus micantes, quas vocat nomine suo, et dicunt : Adsumas, ait Baruch, cap. 5, 34.

In amplissimâ illâ scientiâ hoc quoque est mirabile, quòd nec tempore augetur, nec oblivione minuitur, sed attingit à fine usque ad finem, et præterita atque illa que in omnem seculorum continuationem futura sunt tam clarè et distinctè videt, quàm que modò in oculis geruntur. Itaque nihil fallere illum potest, nihil aciem mentis effugere, nihil inscientiâ præteriri,